



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

II. praecipue vero Graecorum;

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

cap. 39. 40.

crificio agnorum duorum. Vino abstinebant, & in casto erant tempore *ἐπιμυσίας* suae Ægyptii Sacerdotes, perinde ut Ebraei. Animalium mundorum & immundorum discrimen, ex unguularum fissione vel soliditate, ex pinnis & squamis, earumve defectu petitur, in Ægypto, itidem ut inter Ebræos obtinuit. Apud utroque si cui *ὄνειδος* contigerat, is ablui jubebatur. Victimæ oculis captas, aut maculosas Deo offerre, utrique nefas erat. Utrique holocausta Deo faciebant, quemadmodum & Cyprii. Circumcidebant virilia Ægyptii: quem morem ab ipsis Phœnices & Syri neque

Herod. libr. 1. cap. 37. & 104. Phil. Bybl. apud Euseb. Pr. Evang. libr. 1. Joseph. Antiq. libr. 8. cap. 4. & libr. 1. contr. Apion.

acceperunt, neque se fatentur accepisse, quod vult Herodotus: ad Saturnum quippe Phœnices referunt circumcisionis institutum, ut in Sanchoniathonis suis scribit Philo Byblius, homo Phœnix, & rerum suarum Herodoto longe consultior. Solos quidem Judæos in Syria circumcidi Josephus asseverat: quod ejus ætate verum fuit, jam enim apud multas gentes exoleverat ritus ille, qui prius servabatur. Minime ergo ab Ægyptiis venit ad Ebræos, cum ab Ism Æle contra & Cetura filius Arabes, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Madianitæ, Troglodytæ, ab Arabibus Ægyptii consuetudinem hanc acceperint, ut alibi observavimus: nam Ægyptiæ circumcisionis non eandem causam esse ac Judaicæ, & differre utramque definit Origenes. Judæi certe octavo circumcidebantur ætatis die, Ægyptii decimo tertio anno, quemadmodum & Imaëlita. Non omnes præterea circumcidebantur apud Ægyptios, uti neque apud Troglodytas, sed ii solum qui literis aut sacris operam dabant, cum Judæi ad unum omnes lege Mosis ad ponendum præputium astringerentur. Verum quod Ægyptios,

Orig. libr. 5. contr. Cels.

Strab. libr. 17. Cels. apud Origen. libr. 1. contr. Cels.

id bona fide retulit, & Straboni ac Celfo Epicureo ad eundem errorem prævit. Per hebdomadas discreta fuerunt Ægyptiis temporum spatia, necnon & Indis, & Gallis, & Germanis, & Britannis, & ipsis etiam Americanis, & Græcis quoque, ut mox dicam. Insignis est locus R. Gedaliæ in Catena Cabalæ, quo in confesso apud Ethnicos esse ait, universum orbem Sabbathum celebrare. Insignis & ille Josephi, quem representare operapretium est: *ὄνδ' ἐστὶν ἡ πόλις ἰσραηλῶν οὐδ' ἡγεμονίᾳ, οὐδ' βασιλείᾳ, οὐδ' ἐν ἔθνεσιν, ἐστὶν μὴ τὸ τίς ἐξεδράσας, ἢν ἀρροῦμεν ἡμῖς, τὸ ἔδος ἢ ἀναποσίμων*. Nulla omnino urbs est vel Græcorum, vel Barbarorum, neque ulla gens, ad quam non penetraverit mos celebrandi septimi diei, quem seriatim traducimus. Factum id a, ut illos crederem, quod è septem sideribus queis mortales reguntur, altissimo orbe & præcipua potentia Saturni feratur, ac pleraque celestium vim suam & cursum septimos per numeros conficiant; ut falso de Judaici Sabbathi origine differit Tacitus, quorum similia habet Dio Cassius, qui in eo etiam peccat, quod moris hujus originem recentem esse vult, & ab Ægyptiis profectam, unde in Judæos & reliquos homines dimanarit, cum vetustissimam esse doceat Herodotus, ut ante nos observavit Grotius, cumque ejus antiquitatem hoc quem indicavi loco Tacitus prædicet. Verum scimus plerosque eorum sacrum habuisse septimum diem, & die hoc mundi creationem absolutam existimasse. Ex urbibus illis, in quas tutum patere homicidii non spontanei reis perflugium sanxerat Moses, orta videntur asyla illa Neptuni & Osiridis in Ægypto.

Joseph. libr. 2. contr. Apion.

Tacit. libr. 5. Hist. cap. 4. Dio. libr. 37. Herod. libr. 1. Grot. De verit. relig. Chr. libr. 1.

Athenag. Erot. libr. 1.

Diod. libr. 3.

Manavit quoque à Judæis ad Ammonios Ægyptiorum colonos ritus Iychni in Templo semper ardentis. Ammonis Templo præfectus erat Pontifex, cujus vestimenta describit Athenagoras in Eroticis, vestimentorum summi Judæorum Sacerdotis ita similia, ut ad illorum exemplum fuisse elaborata nemo dubitare possit. Reliqui vero Ammonis Sacerdotes ad modum Ebræorum Sacerdotum lineis vestibus utebantur. Sinum Arabicum describens Diodorus, apud accolæ Ichthyophagos fama à patribus accepta ferri ait, astu ingenti mare hoc olim ita fuisse exsiccatum, ut fundus appareret, tum revolutis deinde aquis in pristinum statum fuisse restitutum: quæ non alia sunt, quam quæ in mirifica Ebræorum *ἀσθεῖας* contigisse narrat Moses. Gens Sinenfis, quæ magna floret ingenii & eruditionis laude, Chronologiam nobis summa fide præsentavit Martinus Martinus: quam si quis ad Mosaicis *ἐπιλογισμῶς* exegerit, tantam deprehendet congruentiam, ut fidem utrique adjungere necesse sit. Lux quoque accedet & robur Mosaicis annorum computationibus, si confligantur cum Siamensibus, Persicis, Chaldaicis, Arabicis, Ægyptiis, & Æthiopicis.

Præcipue vetero Græcorum;

Joseph. libr. 2. contr. Apion. Euseb. libr. 11. Præp. Evang.

II. Sed hæc levia, præter illa sunt, quæ à Judæis mutuati sunt Græci. Amplius jam & luculentis dissertationibus id argumentum persecuti sunt Josephus, Justinus, Clemens Alexandrinus, & Eusebius. Paucula tamen vel stricim delibata, vel omnino prætermissa ab aliis hic attingemus, ne pars illa à nobis penitus neglecta videatur. Septimum diem Græcis veteri instituto sacrum fuisse Josephus asseverat, & alii deinde demonstrarunt. Luculenter id probant apud Eusebium, Aristobulum, & Clemens Alexandrinus, ex Homero, Hesiodo, Lino *Ἰαδωνίῳ*, Solone, & Callimacho, ex quorum verbis intelligitur credidisse eos, septimo die completam fuisse rerum om-

nium procreationem. Septenarium numerum nuptiarum festivitatis & letitiae dicatum fuisse Mosaica nos docet Historia. *Imple hebdomadam dierum hujus copula*, inquit Laban ad Jacobum, postquam pro Rachele Lia huic supposita est. Quae consuetudo manavit ad Jacobi posteros, eamque in Samsonis nuptiis observatam prodit liber Judicum. Tobiam cum uxore Sara redeuntem septem dierum epulis Tobias pater excepit. Morem autem eundem tenuisse Ethnicos ostendit Claudianus in Praefatione Epithalamii in nuptias Honorii & Mariae, & per septem dies Pelei & Thetidis nuptias celebratas fuisse scribit. Ostendit & Donatus in Terentium: *In nuptiis*, inquit, *septimus dies instaurationem voti habet*. Hinc creptam sibi conjugem septem totos menses Orpheus luxit. Haudquaquam profecto me fugit septenarium numerum propter sterilitatem, & quod neque gignat, neque gignatur, Virginem & Minervam à Pythagoreis fuisse appellatum. Ita à Theone Smyrnaeo, Macrobio, & aliis accepimus. Docuit quoque me Philo ab iisdem Philosophis fuisse comparatum Deo ipsi numerum hunc, quod immobilis sit; quippe qui neque gignatur, neque gignat; generationem enim esse nullam sine motu. Verum ex eodem quoque Philone didici senarium esse *ἑπτατάτων*, *secundissimum*; marem enim esse & feminam, & ex utriusque viribus conflatum; ex ternario videlicet numero, qui imparium primus est & masculus, ducto in binarium, qui parium primus est & femineus. Hanc ob causam *Veneri esse attributum* scribit Martianus Capella. Propterea quoque Conjugium à Pythagoreis esse nominatum statuunt Plutarchus, Clemens Alexandrinus, & Aristides Quintilianus: vel quod *ἑπτα ἔργων ἑστία ποιεῖ τὰ ἔργα τοῦ γυναικός* Conjugii opus liberos genitoribus similes efficit, ut vult Theon. Censorius vero *fundamentum gignendi* senionem esse tradit, quod sit perfectus, & ex partibus suis, sexta, tertia, & dimidia constet. Itaque propter hanc ipsam senario attributam fecunditatem videntur Veteres statim post completum senarium numerum, die nempe proxime sequente, septimo videlicet, festivitatem nuptialem celebrasse. Nec enim vi sua pollet numerus, nisi sit absolutus & perfectus; quamobrem nec fecunditatem suam expromere putabatur senarius, nisi completus fuisset & evolutus, incunte nempe septimo, cujus in decursu vigeat genitalis illa senarii vis, & conjuges ipsos suam numerus hic fuerat assecutus, octavo videlicet inchoato. Atque haec quidem existimaverim spectasse Ethnicos, eamque moris hujus causam credidisse; ignaros videlicet Ebraicorum rituum a Mose traditorum, unde consuetudinem istam ad ipsos primum mansisse vero propius est: cum praesertim diem septimum, ut dixi, sacrum haberent. Ebraei autem ad has fictitias numerorum virtutes haudquaquam attendebant. Vana haec fuerunt otiosorum Pythagoreorum somnia. Rationem potius habuisse reor senarii dierum numeri, quo haec universitas rerum à Deo condita est: quo peracto opere, velut festum quoddam, & feriae solennes consecratae sunt: cujus festi symbolum fuit celebratas nuptiarum. Ceterum & septenario numero animam humanam generatam esse Timaeus Platonis docuit, & ex eo Macrobius; ex Cicerone vero, hunc numerum rerum omnium fere nodum esse, & geminam vim obtinere vincendi. Nunc ad rem. Neome-nias Graecis sacras fuisse cognoscitur ex Porphyrio. Inde Laconicae Lunae in proverbium abiit. Ionica gens in partes duodecim distributa est, ad exemplum, ut videtur, Ebraicae gentis in tribus totidem distincta. Jam supra ostendimus Plutarchum existimasse Tabernaculorum festum, *βανχίας* esse & *δυσσοφείαν*, cum *βανχίας* contra & *δυσσοφείαν* videantur natae ex Ebraica Scenopegia; atque hoc potissimum festum quod Cereri post collectas aetivas fruges, & illud quod Baccho & Minervae post autumnales fructus conditos celebrabatur. *Οζοφεία* Graeci hoc appellabant, illud *θαλύσια* & *συγκομύθεια*. Sed & in Carniis, festo Apollinis, apud Cyrenenses, & apud Lacedaemonios, cum Copidem celebrarent, *σινιάς* erigebantur quaedam, in iisque convivia agitabantur. Decumarum Deo offerendarum institutum transiisse à Judaeis ad Graecos & Romanos tralatitium est. Ergo decima quaeque Diis suis pene omnibus hos obtulisse, cum ex aliis, tum praecipue ex Festo cognoscimus. Indidem praedae Jovi & Diis offerenda venit ad utroque consuetudo. Unde Virgilius:

*Irruimus ferro, & Divos, ipsamque vocamus  
In partem praedamque Jovem.*

Unde & Romae templum Jovis Praedatoris. Quippe & manubiarum partem Deo obtulerat Abrahamus. Transiit & ad illos foederum per hostiarum sectionem pangendorum mos ab Abrahamo, quem hoc ritu foedus sanxisset cum Deo legimus. Lapidem in triviis ungebant, & positis genibus adorabant; & *tanquam inesset vis praesens, adstantur, asstantur, & beneficia posebant*: quod à se factum aliquando queritur Arnobius. Unde natum Proverbium, à Clemente Alexandrino adnotatum, *πάντα λίθον λιπαρόν προσκυνοῦν* *Omnem lapidem unctum adorans*; traducto inde more, quod Jacob lapidem, cui capite innixus scalam in somnis viderat, *erexit in titulum, fundens*

\* Q iiii

Gen. 29. 27.

Jud. 14. 12, & seq.

Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 1.

Theon. Mathem. cap. 46. Macrobi. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 6. Phil. *ἑπτατάτων*.

Martian. Capell. lib. 7. Plutarch. *ἑπτατάτων*. Clem. Al. Str.

Aristid. Quinti. De music. lib. 7.

Theon. Math. cap. 45. Censor. cap. 11.

Macrobi. in Somn. Scip. lib. 1. cap. 6. Porphyr. *ἑπτατάτων*. Plut. Symp. lib. 4. Quaest. 5.

Virgil. *Æn.* lib. 3.

Gen. 14. 20.

Gen. 15. 9, 17.

Arnob. lib. 1.

Clement. Alex. Strom. 7.

Gen. 28. 18, 19, & 33. 14.

oleum desuper. Ex eo quod Moses ad Deum accedens, & in terra sancta consistens nudis pedibus esse iustus est, votorum nudis pedibus solvendorum consuetudo invaluit in Judæa, *Observant ubi festa mero pede sabbatha Reges:*

quam & tenuisse Berenicen legimus apud Josephum, cum sacrificiis Deo rite peractis nudo pede ad Flori tribunal accessit. Usurpatum deinde fuisse morem hunc narrat Justinus ab exteris gentibus, quæ pedes exuere solebant, cum fana ingrederentur. Hoc habitu Diis sacra faciebant Pythagoras & Proclus; hoc Cretes, cum in ædem Britomartis introibant; hoc Græci sæpius, ut scimus ex Callimacho & Valerio Flacco; hoc Romani, cum ad impetrandos de cælo imbres denuntiatis populo Nudipedalibus Aquilicia Jovi immolabant; hoc *proceres togati, matris Idææ sacris, ante carpentum*, ut est apud Prudentium. Cujus moris specimen aliquod in variis Gallix nostræ locis hodieque retineri, & ad eliciendas aquas nudis pedibus loca sacra homines supplices adire cognovimus. Quid quod & in Ethnicorum gratiam Nudipedalia exercuisse Paulum tradit Hieronymus: quod unde habuerit, comminisci sane non possum; nihil enim hujusmodi in Libris sacris reperias. Pedes, manusque abluiebant Græci sacris operanturi, ex Mosis instituto. Indidem & sacris vinum adhibebant. Sanguinem victimarum circa aram fundi sanxit Moses: id ipsum à Græcis & Romanis usurpatum est, ut scitur ex Porphyrio in libro *περὶ τῆς ἐκ τῶν ζώων φηροσσίας*, cujus fragmentum affert Eusebius; & ex Luciani libro De sacrificiis. Ait Moses, *In oblatione tua offeres sal*: ait Plinius, *Nulla sacra conficiuntur sine mola salsa*. *Ὁ ὕδαρ & ὀλοχόχτας* Græci appellant. Oraculum refert illic Porphyrius, quod cælestibus Diis supremas victimarum partes adoleri jubet, reliqua comedi; quod ex præscripta à Mose partitione hostiarum pro delicto, aliarumque, ortum habuit. Auctor is quoque Græcis fuit ritus illius, ab Homero & Apollonio notati, operendarum adipe partium victimæ, quæ cremandæ essent: auctor & holocaustorum faciendorum. Quanquam & ante Mosem ab aliis gentibus fiebant. Pervenit & ad Græcos lex Mosis de victimis integris & omni vitio carentibus Deo offerendis. Mensæ hujus aureæ, cui imponebantur Panes Propositionis, instar fuerunt mensæ illæ factæ, Diis olim apponi solitæ, non apud Græcos solum, sed apud Romanos etiam, & Babylonios, & Persas, & Æthiopus. Ex lege in Levitico tradita, de vestibus ejus abluendis, qui vel emissarium caprum dimisisset, vel immolatos pro peccato vitulum aut hircum combussisset, manavit illa altera, à Græcorum Theologis uno consensu recepta, juxta Porphyrii testimonium, quæ cum piaculis uti, & corpus ac vestes aqua sancit eluere, quisquis victimas *ὑποφονίους* attigerit. Vetabantur item Pythagorei funeribus interesse. Erant apud Græcos Levitici legem, qua & Græcorum Sacerdotes adstricti erant. Erant apud Græcos & Ebræos, qui cæsariem suam Deo consecrarent. Immundus erat utrisque quisquis humanum cadaver tetigisset. Ex lege Zelotypiæ, quæ traditur in libro Numerorum, prodiiit Stygis fabula, cujus numen Dii jurare timent & fallere; & varii diversarum gentium ritus, quibus aqua vel igne occultorum facinorum veritas exploratur. Ex lege Jubilæi, qua in solido rursus locabantur; qui fundo suo exciderant, prodiiisse videtur Locensium lex, qua cautum erat ne quis avitum fundum alienaret. Nonne ex Mosaicis quoque profectam dicas Oxylæ Heraclidarum ducis & Eleorum regis legem, qua agros pignori opponi vetuit? Placuit Rhadamanthi, atque item Charondæ, *ταυτοπυθία*, sive lex talionis, quam primo invexerat Moses. Suilla denique sancte abstinuisset Cretenses refert Agathocles Babylonius apud Athenæum.

III. Nulla tamen Græcia regio plures, quam Attica, Israëlitarum servavit ritus, partim à Phœnicibus sibi traditos, qui hæc littora, commercii causa frequentabant; partim à Solone, quem multa de legibus Ægyptiorum, quæ Mosaicis consimiles erant, transtulisse ex Diodoro notavimus. Hujusmodi lex ea est, qua filia *Ἐπιχλοῦς* gentili suo nubere jubebatur; atque is si ad res Veneris imbecillus erat, puella licebat, ejus qui proximus esset agnatus, opera uti: & altera, qua Sacerdos uxorem duccens, virginem tenebatur & civem ducere: ipse casto & integro corpore esse debebat: & illa, qua sanxerat Solon victimas esse *ἀφελῆς*, hoc est *ὀρθοκλήτεσσι καὶ ἐμπλήτεσσι*, integras & perfectas; & agnum anniculo minorem non mactari; nec non & illa, quæ homicidio admisso, cujus ignorabatur auctor, totum vicinæ civitatis populum purgari præcipiebat; & hæc quoque, per quàm furem nocturnum interficere licebat. His addo, Altare æneum à Mose fabricatum, causæ fuisse cur Diipolia celebrantes in Acropoli Athenienses, super ænea mensa placentas & liba apponerent, uti factum refert Porphyrius: addo & *ἱαστὰ* Jovi offerri solita, nihil aliud fuisse, quam *ἀλόρεον ἐδάριον ἀδουρῆσον*, farinam oleo confersam, uti discere licet ex Scholiaste Aristophanis: qualem nempe Deo offerri præcepit Moses. Vetusissimis temporibus Deos solis illis *δουλίμασι* placasse homines docet Ovidius: neque morem hunc intermiserunt, cum cæperunt pecudes ad sacrificia cadere; nam & absolutis sacrificiis *δουλίματα* offerebant:

Erod. 15.  
 Juven. Sat. 6.  
 Joseph. de bell. Jul. libr. 2. cap. 15.  
 Justin. Apol. 2.  
 Callim. Hymn. in Ceres. Valer. Flacc. libr. 2. Prudent. 621 517.  
 Hier. libr. 1. adv. Jovin. cap. 7.  
 Erod. 30. 18. & seq.  
 Erod. 29. 16.  
 Euseb. Præp. Evang. libr. 4. cap. 9.  
 Levit. 2. 13.  
 Plin. libr. 35. cap. 7.  
 Levit. 16. 26. & seq.  
 Porph. libr. 2. περὶ τῆς ἐκ τῶν ζώων φηροσσίας.  
 Levit. 21. 11.  
 Num. 5.  
 Virg. Æn. 6.  
 Athen. libr. 9. atque in his maxime Atheniensium:  
 Diod. libr. 1.  
 Plutarch. Solon.  
 Porph. libr. 4. περὶ τῆς ἐκ τῶν ζώων φηροσσίας.  
 Aristoph. Schol. Plut.  
 Ovid. Fast. libr. 1.